



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.  
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate  
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In  
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

**LePrévost, Jean**

**Dvaci, 1629**

Qvæstio III. De Confeßione quæ est secunda pars Sacramenti Pœnitentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](#)

Suarez probabilitate sufficere scilicet quod homo accedit sine actuali complacentia peccati venialis & cur desiderio recipiendi Sacramentum eiusque effectum. Sed quod diximus videtur verius, quia contra talenm congruentiam opponuntur Flor. & Trid. que sunt majoris ponderis.

peccati venialis, & cū desiderio recipiendi Sacramentum &c. Adverte tamen hanc Suaris sententiam non videlicet planè improbabilem, quam etiam quidam alij sequuntur. iuxta quam si quis se dirigit non peccabit, & forte confequerit Sacramentum effectum. ad Concilia non occurrit aliud dicendum, quam quod fortè solum tradiderint id, quod certum est in confessione mortalium. quamus, ut verum fatetur, ea quæ attulimus contra hanc explicationem, videantur multum vrgere, & doctri na Suarez loco cit. videatur parum cohætere cum eo quod tradit dipl. 20. tum præcedentibus sectum peculariter 6. in quâ dicta de attritione respectu mortalium cenfer applicanda confessioni, in quâ sola venialia recensentur.

Iuxta sententiam Stauris ita potest remitti peccatum veniale, per Sacramentum, ut non preinueniat antea remissum, non solùm quando coniungit mortali, sed etiam fine illa, quod non tantum de Sacramento peccantibus est intelligendum, sed etiam de alijs Sacramentis.

QVÆSTIO III.

*De confessione qua est secunda  
pars Sacramenti Pœnitentie.*

D V B I V M . I.

*Vtrum confessio mortalium sit necessaria  
ad salutem?*

**M**ULTI de  
hac re et-  
rōres.  
*Montanista.*  
*Nouatiani.*

V L T I hac de re fuerunt errores: nam  
Montanista, & Nouatiani, quos supra  
q̄xst. i. dub. i. diximus negasse Sacra-  
mentum p̄nitentiae, videntur etiam  
negasse vsum confessionis, & proinde eiusdem  
necessitatē. easdem negavit Caluinus ibidem  
cit. & clariss lib. 3. institutionum cap. 4. §. 7. vo-  
lens liberum esse confessionis vsum, imo hereticis  
nostrī temporis censem confessionem esse inten-  
tum quoddam humanum ab Innocentio 3. intro-  
ductum in Concilio Lateranensi, & consequenter  
meritò à pijs hominibus abolendum, quod Eccle-  
sia non potuerit præcipere, vt etiam secreta cor-  
dis peccata in confessione recenserentur, videri  
potest Bellarminus lib. 3. de p̄nitentia cap. i. Pe-  
trus Oxomensis propositione 2. damnata censem  
confessionem peccatorum in specie non esse iuris  
diuini, sed ex statuto uniuersali Ecclesie, & vt q̄  
i. dub. 3. vidimus, censuit iustificatis confessionem  
non esse necessariam, imo Glossa in principio di-  
stinctionis 5. de p̄nitentia censet melius esse cre-  
dere confessionem esse præceptam ex lege Eccle-  
siasticā, vel traditione, nec eā obligari Græcos. se-  
cundūm  
Resp. &

*Conclusi.* Dico i. fide certum est necessariam esse confessiōnem peccatorum mortalium cōmissorum post baptismum, etiam occultorum.

Probatur i. suprà q. i. dub. i. ostendimus Sacra-  
mentum pénitentia esse ad salutem necessarium  
ergo etiam cōfessio est necessaria cùm Sacramen-

tum non possit dici necessarium, nisi singulae partes ad eius substantiam requisitæ, sint necessariae.

Probatur 3. ex Patribus, Cypriano fermone de lapsis grauiter reprehendente eos, qui admittunt peccatores ad Eucharistiam non premisā peccatorum confessionē, Ambr.lib.2.de penitentia, cap. 6. dicente: si vis insignificari fatore delictum tuum: sicut enim criminum nexus vercunda confessio peccatorum, quod intelligit & de confessione homini facienda, & faciādū de peccatis in specie, Hieron.in cap.16. Matthēi: quomodo ergo ibi (scilicet in Leuitico) legem sicut sacerdos mundum vel inmundum facit, sic & diligat, vel solut Episcopus & Presbyter &c. sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates sit qui hagardus sit, quicquid solvendus, August.lib.50. homilia rum, homilia 12. Deus noster, qui pius est, & misericors, vult ut ea confiteamur in hoc tempore, ne pro ijs confundamur postmodum in futuro. Leone Epist. 91. mediator Dei, & hominum Christus Iesus hanc Ecclesiam propositis tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem penitentia daret, & eos salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. plures videri possunt apud Bellarmino lib. cit. cap. 6. & sequentibus.

Dico 2. hæc necessitas non est introducta per Innocentium tertium in Conc. Lateranensi, patet ex superiori conclusione, cum plures Patres antiquiores Conc. Lateranensi illius meminerint, ut militari Concilia illo antiquiora, idq; definit Tard. frat. fess. 14. cit. can. 6. videri etiam potest caput 5. eiusdem fess. sub finem.

Dico 3. ad veniam peccatorum acquirendam necessariam esse confessionem etiam speciale peccatorum etiam internorum, & non sufficere generaliter, quā quis agnoscat se peccatorem. patet ex Conc. Cabil. cit. & ex Trid. cap. 5. cit. & can. 7. euodem sensu item ex Patribus cattis, & alijs. quod bene deduxit Trid. cap. 5. cit.

Dico 4. hęc confessio mortaliū necessaria etiam Concl.  
est ijs, qui per contritionē sunt iustificati. pati Eliz.  
ex condemnatione articuli Perri Oxomensis & ex Seu.  
condemnatione articuli Wicleffii, ex Trid. fess. cit. comm.  
cap. 4. docente etiam contritionem perfectam non  
reconciliare hominem sine ~~modo~~ Sacramenti pa- Compl.  
nitentia: inde enim sequitur necessarium ea peccata  
clauibus per confessionem esse subiecta, quo-  
rum aliquis per contritionem confessus est re-  
missionem: videri possunt dicta q. i. dub. 3.

Dico 5. hæc necessitas prouenit ex iure diuino est de fide, definitum in Trid. sess. 6. cit. in hæc verba: si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutionem, vel ad salutem necessariam esse iure diuino &

*anathema sit. & can. 7. idem definitur de confessione etiam*

etiam occulitorum peccatorum mortalium. can. 8.  
definitur confessionem omnium mortalium, qualem seruat Ecclesia, non esse traditionem humanam,  
& cap. 5. eiusdem seſſ. graueriter docetur ex institutione Sacramenti penitentiae vniuersam Ecclesiam semper intellexisse institutam etiam esse à Domino integrum peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis iure diuino necessariam existere. idem deduci potest ex Leone epist. cit. Aug. & alijs.

Probatur ex cap. 20. Ioan. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retinentur. quo loco Christus Dominus non solū dat Apostolis coruque in sacerdotio successoribus potestatem iudicari peccata remittendi, sed etiam retinendi, quæ potestas data hominibus respectu hominum non potest prudenter exerceri, nisi peccatores teneantur omnes peccatorum mortalium causas ad hoc tribunal per confessionem deferre, cùm sacerdotes non possint incognitam causam hoc iudicium exercere. ergo Christus præcepit omnibus, & singulis post baptismum lapsis in mortalibus ea confiteri, ita ut veniam non consequerentur nisi actu confiterentur, vel saltē tacite proponerent illa clauibus subiiciere, vt optimè deducit Trident. cap. 5. citat. ex quo patet minùs solidè dixisse varijs Doctores ex hoc loco Ioan. non colligi præceptum, & necessitatem confessio- nis sacramentalis.

Contra has conclusiones potest obijci. Ambr. lib. 10. in Lucam super caput 22. de negatione Petri dicens: Petrus doluit, & fleuit, qui errant ut homo, non inuenio quid dixerit, inuenio quod flearerit. lacrymas eius lego, satisfactionem non lego &c. lauant lacrymē & debilē, quod voce pudor est confiteri.

Resp. hanc sententiam nil facere contra Catholicam veritatem 1. quia quando Petrus fleuit, & de peccato doluit, Sacramentum penitentiae nondum erat institutum, 2. & magis ad rem, quia S. Ambros. per hanc sententiam solū vult docere per veram cordis contritionem condonari peccatum, etiam antequam aliquis illud ore confiteatur, & clauibus Ecclesiæ subiiciat, vel pro eo satisfaciat per opera pœnalia, ut scilicet hac ratione, & exemplo Petri nos excitat ad perfectam penitentiam, & dolorem peccatorum: nam addit & tu si veniam vis mereri, dilue culpam lacrymis tuam, eodem tempore respicit te Christus; ergo hoc discifru Ambr. Non vult derogare necessitati confessionis instituenda homini in Sacramento penitentiae, quam esse necessariam post erectum penitentiae tribunal ex eodem Ambr. supra ostendimus. quia bene consitit, quod aliquis fuerit consecutus remissionem sui peccati mortalis post baptismum commissi, & nihilominus teneatur illud ipsum in confessione aperire, aliter soluit Suarez disp. 17. seſſ. 2. in fine.

Obijcitur 2. contra 5. conclusionem factum Nectarij Episcopi Constantinopolitani, qui videtur confessionem sacramentalē abrogasse, ex quo sequitur confessionem peccatorum esse humanum inuentum ad seruandam ecclesiasticam disciplinam, & dum Nectarij ita narrat Socrates lib. 5. historie cap. 19. qui iam prefuit Ecclesijs quamvis ad longinquum temporis spatium hoc retinuerim institutum (scilicet quo sanctum erat, & adiunctum canonis) in singulari Ecclesijs presbyter quidam penitentie preeſet, quo, qui post baptismum lapsi fuissent coram presbytero ad eam rem destinato peccata sua confiterentur, qui Penitentiaris voca-

batur) tamen temporibus Nectarij Episcopi immutavum propter eiusmodi facinus, quod tam fortè fortuna in Ecclesijs admissum fuit, mulier quædam nobilis ad presbyterum penitentiarum accedit, peccata quæ post baptismum commisera, particulatim confitetur, presbyter mulieri mādatum darat ut ieiunij, & continui precibus se dederet, mulier longius in confiendo progressa alterius se ipsam simulat, docet Diaconū Ecclesijs cum ipsa dormiuſſe &c. itaq; cum sacerdotibus ob hac causam effet uebemēter obiectum, Eudamon quidam Ecclesijs presbyter genero Alexandrinus Episcopus Nectario dedit consilium, ut presbyterum Penitentiarum tolleret, & liberam daret potestatem, uti pro suā quisque conscientia ad mystria participanda accederet. eandē historiam referunt Sozomenus lib. 7. historiae cap. 16. & Nicephorus lib. 12. cap. 28. ad hanc obiectiōnem varijs varijs respondent.

Baroniū tomo 1. annalium ecclesiasticorum ad annum Christi quinquagesimum sextum negat historiam esse veram, afférens confitam à Socrate, & Sozomeno Nouatianis habentibus odio confessionem, à quibus Nicēphorus in errorem pertractus est. vel 2. ait Nectarium imperitum recum ecclesiasticarum (ut pote recente baptizatum, cùm ad Episcopatum promoueretur) hac in erreffe seductum à Nouatianis quorum confitendum vtebatur.

Sed posterior responsio non videtur posse subfistere, cùm factum Nectarij Orientales Ecclesiæ sint secuta, vt narrat Sozomenus, & Chrysostomus Nectarij successor id non improbauerit, nec quod erat ablatum, refutetur, & Nectarius à summis Pontificib; non legatur propter illud factum reprehensus, quod tamen minimè debuissent dissimulare, tantum errorem contra ius diuinum tolerando.

Prior responsio non ita videtur probabilis: quia creditu est difficile Socratem sine fundamento confinxisse rem, quam narrat tanquam publicam, & suo tempore contigisse. Videtur igitur Nectarius aliquid sustulisse quod anteā erat in vsu, non solū in Ecclesiā Romana, sed etiam in Orientibus. his ergo, & alijs responsionibus, quæ minūs videntur satisfacere prætermis̄sis.

Resp. historicos non voluisse Nectarium ab-sustulisse vsum confessionis sacramentalis, sed solū storia. vsum quādam referendi publicē, iniungente ita penitentiariori (qui prudens, & taciturnus eligebarat) tum ad humiliacionem penitentis, eiusque emendationem, tum ad aliorum adificationem, quando peccata erant publica, sustulisse inquam, hunc vsum, & penitentiarum, & vnumquemque reliquisse sua conscientia quoad publicam confessionem, occasione mulieris, qua fuerat vltius in suā confessione progressa, quām fuerat præscriptum, ex quā re tumultus, & perurbatio fuerant in populo excitata. Historicos non voluisse Nectarium sustulisse sacramentalē confessionem probatum, quia Socrates dicit sublatam appendicem, non vero canonem, scilicet confessionis.

2. Nectarius sustulit id, quod fuerat occasio scandali; confessio autem sacramentalis non potuit esse occasio scandali, cūm ea fiat vni, qui nil potest reuelare, & Socrates non agit de revelatione facta per sacerdotem, sed per ipsammet fœminam. 3. Socrates videtur reprehendere consilium Eudamonis, cō quod sublatā eā appendice alter alterius peccata redarguere non valeat, quā ratio non habet locum in confessione sacramentali, in quā peccatum aperitur soli sacerdoti. adde quod vnuſ

Responſio-  
nes varia  
Baronij.

Impugnan-  
tur.

sacerdos non poterit sufficere pro sacramentali confessione, cùm tamen unus dicatur à singulis Episcopis constitutus.

Dicendum igitur illum Pœnitentiarium electum fuisse pro publicè pœnitentibus seu ijs, qui prolapsi in grana peccata debebant agere publicam pœnitentiam, quorum auditæ confessiones prescribebat quenam peccata pœnitentes deberent propalare, scilicet publica; hunc solum vsum, & pœnitentiarium suffulit Nœctarius. Videri potest Bellarm. lib. 3. cit. cap. 14.

Secundum hanc explicationem videntur omnia bene constare, neque eā in rē redarguendus est Nœctarius, quasi aliquid diuīto iuri repugnans concesserit.

Ex his patet quid dicendum ad Chrysostomum, qui varijs locis videtur negare necessitatem confessionis sacramentalis, & docere sufficere, si homo vni Deo peccata sua interius confiteatur, dicendum enim id nullo modo velle Chrysostomum, sed quod alludens ad factum Nœctarij predecessoris sui solum velit non esse necesse peccata publicè recensere, & quasi in theatro, & recitare coram multitudine, qua possit exprobare, sed sufficiat vni sacerdoti vices Dei gerenti peccata aperire: vnde quod dicit: *dixi Deo, non opponit confessioni sacramentali, quasi velit nullo modo esse necessarium peccata in Sacramento pœnitentia aperire, sed solum opponit publica illi recitatione, quod saepe inculcat propter factum mulieris, cuius occasione Nœctarius publicam recitationem sustulerat.* hoc sensu potest intelligi, quod homil. 4. de Lazarо dicit: *caue homini dixeris, ne tibi exprobret.* quai dicat: non est necesse, postquam peccata sacerdoti Dei vicario aperisti, eadem publicè recenses, & coram multitudine, que tibi possit exprobare. vnde Chrysostomus, qui videtur interdum agere de interiori confessione, & soli Deo facienda, eam nō opponit sacramentali, qua dirigitur ad absolutionē, & reconciliationem cum Deo, sed ei, que dirigatur ad confessionem pœnitentia apud multitudinem, quemadmodum dirigebatur publica quas dicit: sufficit, vt te ipsum confundas coram Deo, cui interiorū peccata confitearis: non autem requiritur, vt coram testibus ecceases.

Addi etiam potest quod Chrysostomus interdum exhortans ad examen conscientiæ quotidianum, & ad excitandam compunctionem peccatorum id suadeat partim ex utilitate, partim ex facilitate, quod extra tempus, quo vrget præceptum confessionis, possimus peccatorum veniam consequi, si intus in animâ nostrâ, & coram solo Deo confundamus, & peccata detestemur, vt cùm homil. 2. in psalmum 50. dicit: *at pudor est confiteri: die ea quotidie in gratione, non dico ut ea confervio expinas, qui te probris impear, dic Deo, qui tis medeur.* vnde hæc & similia Chrysostomi testimonia male contra sacramentalem confessionem detinuntur.

### D V B I V M II.

*Verum confessio venialium iure diuino  
sit necessaria?*

D E Y M potuisse præcipere confessionem huiusmodi peccatorum est indubitatum, indubitatum etiam est venialia recte, & utiliter in con-

fessione recenseri, quod declarat vslus fidelium, & tradit Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7. peritum num de facto sit necessaria huiusmodi confessio? ad quod breuiter

Resp. neg. patet ex sensu, & vslu Ecclesiæ, & docet Trident. cap. 5. cit.

Nec refert quod potestas remittendi venialia in hoc pœnitentia Sacramento colligatur ex eodem loco, ex quo colligitur potestas remittendi mortalia, scilicet Ioannis 20. vbi eadē serie datur potestas remittendi, & retinendi, quia Ecclesia nos docet eam sententiam non esse eodem modo applicandam, & intelligendam quod utramque partem respectu mortaliū, & respectu venialū, quamuis ergo ex priori mēbro colligamus potestat remittendi etiā venialia per Sacramentū pœnitentia: ex posteriori tamen non debet colligi potestas illa retinendi: quia locus, secundum subiectam materiam explicari debet, ratio autem est, quod licet fuerit congruum potestatē, quæ remittit Dei nomine graues offensas, sepe extenderet ad remittendas etiā leues, quæ saepe committuntur à iustis saluā amicitia: non tamen fuerit ita conueniens easdem retineri, cùm videatur conueniens eas faciliter ab hominē remitti quām retineri.

Ex quo deducitur quod cum cap. *omnis venientia, & remissionibus determinat ius diuinum quod tempus, quo intiuenda est confessio, præcepit ibi latum de confessione respiciat eum, qui sibi est conscius peccati mortalis.* quod patet tum ex gravitate pena, tum quod Trid. cap. 5. citat: doceat venialis taceat posse circa culpam, eo scilicet tempore, quo confessio ex præcepto est instituenda, vnde qui solum habet venialia, non tenet vi illius decreti confiteri. vbi tamen est periculum scandali, debet pastori aperire se non esse consciūm aliquius mortalis.

### D V B I V M III.

*Qui nam obligentur præcepto diuino  
confessionis?*

R E s p. omnes, & solos eos, qui post baptismum lapsi sunt in peccatum mortale, quod soli baptizati lapsi post baptismum in mortale teneantur, probatur, quia peccata ante baptismum commissa delentur per baptismum, & proinde tribunal pœnitentia non est pro ijs institutum. adde quod hec peccata foris sint commissa, vnde non pertinent ad forum Ecclesie.

Quod verò obligentur omnes lapsi in mortale post baptismum, patet ex Trident. sess. 14. cap. 5. item ex 20. Ioan. nam in superioribus ostendimus ex eo loco bene deduci necessitatē confessionis iure diuino, hac autem necessitas non colligitur respectu unius, aut alterius, sed respectu omnium, & cuiusvis ætatis. igitur quisquis post baptismum mortaliter peccauit, obligatur diuino præcepto confessionis. Confirmatur, talis non potest confessari remissionem peccati mortalis sine voto saltem implicito Sacramenti pœnitentia, vt patet ex Trid. sess. cit. cap. 4. ergo etiam non potest sine voto implicito confessionis, quæ est pars Sacramenti.

Hinc deduci potest pueros, qui mortaliter peccarint post baptismum, hoc præcepto obligari, quod etiam patet ex capitulo, *omnis venientia, & remissionibus, vbi statuitur* omnes

omnes teneri confitei semel singulis annis post quam ad annos discretionis peruerterint, vbi

Notandum hunc discretionis annum in varijs esse varium: in quibusdam est septimus, in quibusdam octauus, in alijs nonus &c. in ordine ad proxim, ut pueri possint absolvi, videtur in genere dicendum, quod si in aliquo non notetur sufficiens vñs rationis, non debet illi impedi absolute: si vero posset notare saltem in confuso ratione mali, & ex varijs interrogacionibus possit formari morale iudicium, quod habeat sufficiens iudicium ad cognoscendum crasum quodam modo Deum per aliquam actionem offendit, item hoc, vel illud facere esse malum &c. potest, & debet absolu, si non uerit saltem precipua aliquot fidei mysteria, vide-ri potest Nauar. in summa cap. 21. nu. 33. nec ob-  
stat quod perfectior vñs rationis expeteretur, vt prebeat Eucharistia, id enim sit, quod hoc Sacramentum propter summam suam dignitatem maiorem requirat reuerentiam.

Ex dictis facili patet summum pontificem non posse etiam validè dispensare cum aliquo, vt non nū-  
quam teneatur sacramentaliter confessionem in-  
stituere, & multominus posse in vniuersum præcep-  
tū confessionis abrogare, quia non potest dispen-  
sare in diuinis præceptis, vel illa abrogare.

D V B I V M . IV.

Quandonam obliget præceptum diui-  
num confessionis?

C Vm hoc præceptū sit affirmatiuum cōstat nō obligare pro quolibet tempore, sed sicut cæ-  
tera affirmatiua pro certis quibusdam temporib.  
spectatā eius conditione, de quibus temporib.  
bus inquirimus. & quidem intelligendo de obli-  
gatione per se, non verò per accidens v.g. ratione  
voti, vel iusti præcepti superioris, vel cōfessarij, vel  
quia Eucharistia est recipienda &c.

Dico 1. præceptum diuinum confessionis ratio-  
ne sui obligat in periculo mortis quod peccata  
mortalia nunquam claniibus subiecta.

Probatur 1. præceptum confessionis obligat  
pro aliquo tempore; nullum autem datur com-  
modius, quād illud quo homo extremè indiget  
penitentia Sacramento.

Confit, ex fine ipsius, confessio est instituta, vt  
homo per illam accedente absolutione Deo recō-  
ciliatur, & in eum finem est præcepta, ergo vide-  
tur saltem obligare pro eo tempore, quo homo  
maxime indiget reconciliatio cum Deo; maxi-  
mè autem indiget in fine vitæ, ergo videtur maxi-  
mè eo tempore obligare.

2. Erepto tribunali penitentia homo lapsus in  
peccatum post baptismum non potest reconciliari  
absque voto salte implicito confessionis instituen-  
de, ergo relinquit obligatio instituendi confes-  
sionem antequam ex vita decedat.

Probat 2. contritio obligat pro eo tempore,  
ergo & confessio: quia Deus vult, vt modus præ-  
ceptus à se ad obtinendam reconciliationem tune  
saltem adhibeatur.

Notandum 1. illum dici articulum vel periculum  
mortis quod prudentes iudicant esse tale, vt cum  
aliquis ingreditur periculosam navigationem, vel  
init periculosum conflictum, cum mulier tenera  
primum parit, vel solet habere partus difficultes,  
cum aliquis morti est adiudicatus, cum sunt eu-  
ni-

dentia signa mortis naturalis, vel periculum his &  
similibus eventis diuinum præceptum confessio-  
nis obligat. vbi

Notandum 2. præcipi medicis sub graui pœna,  
vt ante omnia moneant, & inducent ægrotos, vt  
medicos aduocent animarum. ita cap. cim infir-  
mitas, de penitentijs, & remissionibus, quod re-  
uouauit Pius V. vbi aduerte medicos non necel-  
lari id debere per seipso præstare, sed posse præ-  
stare per pastores, vel alios, ne ægrotus perturbe-  
re. 2. non teneti monere in morbis communib.  
sed solùm in periculis ex quibus mortis me-  
ritò timeri potest: in quibus tamen non debet  
expectari ipsum actual mortis discrimen, sed me-  
dicus obligatur, quando prudenter indicat esse per-  
iculum, ne morbus reddatur grauis, potest vide-  
ti Nauar. cap. 23. num. 61. 3. iuxta sententiam  
quorundam recentiorum medicum etiam post  
statutum Pij V. satisfacere præcepto si moneat, li-  
cer ægrotus non confiteatur, & posse pergere in  
curando.

Hoc de mortis articulo constituto, & commu-  
niter recepto, de alijs temporibus dubitari potest.  
Vasquez quæst. 90. art. 1. dub. 5. num. 4. & se-  
quentibus censet seclusa Ecclesiæ determinatio-  
ne neminem teneri iure diuino confiteri reliquo  
vitæ tempore, & propterea incumbere Ecclesiæ  
determinare tempus quo diuinum præceptum  
confessionis modificetur, quod etiam quidam alij  
sequuntur: alijs tamen videatur probabilius, quod  
etiam seclusa Ecclesiæ determinatione præce-  
ptum diuinum confessionis obliget aliquoties in  
vitâ. vnde

Dico 2. diuinum præceptum confessionis vi-  
detur etiam per se obligare aliquoties in vitâ.

Probatur ex eo quod contritio videatur hoc  
modo obligare extra mortis articulum, cim er-  
go præceptum confessionis videatur esse appen-  
dix præcepti contritionis, videatur similiter aliquo  
ties in vitâ obligare.

Dices non potest assignari tempus, quo præ-  
cisè obliget, ergo præcisè à determinatione Eccle-  
siæ non obligabit.

Resp. negando consequentiam: quia licet non  
possit dari præcisè tempus, quo præceptum virget,  
potest tamen probabilitate assignari terminus,  
quæ si quis transgrediat, sit reus peccati con-  
tra illud præceptum commissi: quemadmodum  
licet non possit assignari ab homine indutissibilis  
terminus, quo præcisè obliget præceptum chari-  
tatis ad amorem Dei super omnia, non ideo vi-  
detur posse probabilitate dici, quod illud non obli-  
get extra mortis articulum, ad afferenda huius-  
modi præcepta sufficit, quod ex fine illorum col-  
ligatur nos video teneri ad actum per illa præcri-  
pitum aliquoties in vitâ ponendum, & vt ratio Non vi-  
suadeat, esse peccatum nimium expectare, spe-  
tur posse  
differi cō-  
fessio vltra  
sex, aut se-  
piam annos.

Ex hoc sequitur, quod licet summus Pontifex Corollar.  
validè cum aliquo dispensorer, ne teneatur fini-  
gulis annis confiteri: is tamen iure diuino tenere-  
tur aliquoties in vitâ confiteri, si in mortalia labo-  
retur, & quod in eo pontifex non posset validè dif-  
fersare.

Ex dictis patet peccatorum non teneri confite-  
ri primâ datâ oportunitate post peccatum com-  
missum, quando illud menti occurrit, vel quando

19.

Præceptum  
concernens  
medicos.  
Cap. cim  
infirmitas.

Modifica-  
tiones dicti  
præcepti.

20.

Vasq. vult  
seclusa de-  
termina-  
tione Ec-  
clesiæ non  
teneri que-  
quam iure  
diuino cō-  
fiteri reli-  
qua vita.

Concluſ. 2.  
Obligat  
etiam ali-  
quoties in  
vita.

Obiectio.

Resp.

21.

22.

Corollar.

23.

Coroll. alter-  
rum.

24.

est periculum obliuionis. quia alias Ecclesia imprudenter præscriberet confessionem solum semel in anno, nam posito Ecclesiæ præcepto fideles non existimant se obligari sèpius peccatorum confessionem instituere, etiam si peccata menti occurrant, vel sit obliuionis periculum, cui persuasionis præceptum Ecclesiæ ansam præberet, & sensus ipsius Ecclesiæ, quæ proinde fideles grauiter deciperet, si ij tenerentur in casibus relatis confiteri, cùm inter sacerdotes paci sint, qui in fine anni meminerint omnium specierum suorum peccatorum, & multò pauciores meminerint numeri, quibus proinde præcepto Ecclesiæ parum est protussum. adde obligationem statim confidendi non posse aliunde colligi, quæ ex præcepto contritionis, & eò quod homo teneatur Deo reconciliari, atqui ex eo capite prædicta obligatio ostendi nequit, cùm, vt suprà vidi mus homo non teneatur statim conteri post commissum peccatum, neque teneatur sub novo peccato statim se Deo reconciliare.

## D V B I V M . V.

## Quomodo se habeat confessio ad Sacramentum pœnitentiae?

23.

Sensus quæstionis.

In compo-  
situs quæ-  
dam partes  
sunt elen-  
tiales.Aliæ inte-  
grales.Eftius.  
Senit esse  
tantum in-  
tegralem.  
Inclina-  
eodem  
Ruard.24.  
Conclus.  
Confessio  
est pars  
essentialis.  
Prob. 1.

**Q**UÆRIMVS num sit pars solum integræ, sine quâ substantia Sacramenti pœnitentiae possit consistere, an vero sit omnino necessaria ad substantiam, & valorem Sacramenti pro quo

Notandum in compositis physicis quasdam partes assignari, quas vocamus essentiales, ut materiam & formam, sine quibus ipsum compositum physicum confitare nequit, & similiter ea, quæ requiruntur, ut materia possit informari formâ. aliæ sunt integrales, quæ pertinent ad perfectionem compositi, & requiruntur, ut existat secundum connaturalem suam exigentiam, tamen absque illis potest in rebus existere. verbi gratia, homo ad decentem suam constitutionem requirit manus, pedes &c. quæ tamen non sunt ita necessaria, ut sine his nequeat existere in rerum naturâ. proportione possumus discurrere de Sacramentis, quærimus ergo num confessio sit pars prioris generis respectu Sacramenti pœnitentiae, an vero secundi? ita ut absque illâ inueniatur substantia Sacramenti pœnitentiae. quamvis autem ex dictis questione i. dub. 4. huius dubij resolutione patere possit, libuit tamen hic peculiariter tractare, quia non defuerunt, qui existimarent solum esse partem integralem, sicut & satisfactiōnem. ita Eftius distinct. 15. §. 2. ad 5. &c. 6. si responsiones cum argumentis ipsi coniungantur, & videtur inclinare Ruardus art. 3. de necessitate pœnitentia, complectitur autem hoc Sacramentum. vterque tamen requirit externa signa veræ pœnitentiae, quæ defectum confessionis suppleant, quando ea noui potest adhiberi. apud ceteros non legitur haec quæstio disputata, quod omnino supponant confessionem requiri ad rationem, & essentialiam & per consequens ad valorem Sacramenti pœnitentiae, iuxta quos Resp. &

Dico confessio se habet ad Sacramentum pœnitentiae tanquam eius pars necessaria ad valorem, & rationem Sacramenti.

Probatur, hoc Sacramentum non minùs requirit aliquam materiam necessariam ad sui constitutio-

nem, & valorēm, quā alia; nisi autem confessio sit huiusmodi materia, nulla erit, ergo, maior probatur ex Florent. tradente Sacraenta non legis perfici materiâ, formâ, & intentione ministri, quæ vtique materia non aliter concurrit, quā per modum partis necessariæ ad rationem Sacramenti, à quâ doctrina non potest cum vi-  
*Florina.*  
llo solido fundamento excipi hoc Sacramentum. 2. Doctores communiter tradunt hoc Sacramentum debere habere aliquam materiam omnino necessariam ad sui constitutionem. minor vero probatur, ad hoc Sacramentum per modum materiae solum concurrunt contritio, confessio, satisfactio, satisfactio non est pars essentialis, ut constat apud omnes, non potest dici quod contritio intus latens sit ea pars, cùm vt sic non si sensibilis; materia autem Sacramenti sit sensibilis, & quidem per se, ergo debet sensibilis per confessio-  
*Obiectio.*  
nem tanquam per comprehendere, quæ ipsa sit per se sensibilis.

Dices futuram sensibilem per signa externa doloris, quæ supplent defectum confessionis.

Resp. si ea signa non sint confessio (prout alij dicuntur non esse) id non sufficere, quia eo non obstante contritio vero non redditur sensibilis per aliquid quod per modum partis ipsius Sacramenti sit sensibile, unde in predicto calu ex parte materiae nihil dabatur quod sit per sensibile, imò non poterimus cum solido fundamento aliquid assignare, quod debeat dici pars essentialis materialis.

Probatur, sola contritio posset dici essentialis ex supposito; atqui si externa signa non se habent per modum partis, & confessionis, sed tantum per modum dispositionis, idem de contritione dici poterit, quod scilicet solum sit dispositio necessaria ex parte pœnitentis, ut impeditur absolutio, praesertim cùm ea signa in genere moris unius conficiant cum contritione, ex quibus faciliter patet nihil solidum dici posse de partibus huius Sacramenti ex parte pœnitentis.

Probatur 2. si ad rationem, & valorem huius Sacramenti non requiratur confessio, non potest solidè ostendere requiri illa signa doloris, quia illa dicuntur supplere confessionem, quod dicuntur minùs consequenter, si ea solum sit pars integralis, nam licet desit pars solum integralis, & quilibet aliud, quod illam supplere potest, potest consistere compotitum & totum illud quod respicit partem sui solum integralem, cùm supplementum non possit requiri maiori necessitate, quam illud, quod supplet, quod si dicatur requiri essentialiter, vel confessionem, vel huiusmodi signa, resp. id voluntarii asservi contra doctrinam Conciliorum, quæ inter partes huius Sacramenti nunquam ponunt huiusmodi signa tanquam conditio a confessione, cùm tamen intendant omnes partes Sacramenti recensere.

Probatur 3. accusatio est de ratione iudicii, ergo & confessio de peccatis est de ratione Sacramenti pœnitentiae, quod per modum iudicij est institutum.

Dices, hoc iudicium esse in favorem pœnitentis.

Resp. id non referte: quia ita est à Christo institutum, ut non possit a ministro exerceri, nisi cognitâ causâ, ut optimè colligit Trident. sess. 14. cap. 5.

Confit, conformius est naturis rerum, ut qui vult remissionem consequi, culpam agnoscat,

idque

idque iuxta exigentiam fori, in quo illam defiderat, cum ergo forum pœnitentia sit tribunal quoddam sensibile, conformius est, ut reus in eo culpam agnoscat, si in eo velit remissionem obtinere, atque adeo conformius est naturis rerum, ut exterior quedam accusatio sit de ratione huius Sacramenti, atque adeo confessio, scilicet ipsius rei, cum totum hoc iudicium in ipsis fauore dirigitur.

Obijc̄es 1. Concilia vocant actus pœnitentis quasi materiam.

Respōdeo nihil hinc confici posse, cum id etiam dicatur de contritione, quia sine controversia requiritur ad rationem, & valorem Sacramenti pœnitentie, ita vero loquuntur Concilia, ut ostendant nullam externam materiam, seu sensibilem substantiam in hoc Sacramento assumi. videri possunt dicta q. 1. dub. 4.

Obijc̄es 2. quod postquam Tridentinum sess. 14. cap. 3. dixisset: sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritus, confessio, & satisfactione, addat: qui quatenus in penitente ad integratem Sacramentum, ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, haec ratione pœnitentie partes dicuntur, vbi censet eas partes solùm requiri ad plenam, & perfectam remissionem, scilicet quod culpam, & pœnam.

Resp. Concilium nolle singulas ea solùm ratione requiri, sed ita loqui, quod inter partes enumeratur satisfactione, quae non est pars essentialis, cum Sacramentum absque illâ possit consistere, quam tamen aliquis potuisse existimare necessariò requiri ad valorem Sacramenti, eo quod Concil. Flor. simpliciter posuisse actus pœnitentis esse quasi materiam, de cetero Conc. Trid. sentire confessionem esse partem omnino necessariam ad rationem, & valorem Sacramenti satis patet ex cap. 3. eiusdem sess. vbi ex ratione iudicij, in quo sacerdotes possint peccata retinere, colligit eius necessitatem.

Obijc̄es 3. non appetet vlla confessio eius, qui in extremis solùm exhibet signa doloris.

Resp. neg. assumptum. pro quo

Notandum, quod licet sensu impotentiâ physica, vel morali, vel etiam iustis alijs causis, per se loquendo, confessio Sacramentalis, debet esse omnium peccatorum mortalium tam quod speciem, quam quod numerum, atque adeo debeat esse integra etiam materialiter, hæc tamen materialis integritas non ita necessariò requiratur, vt nunquam abesse possit, sed solùm eaneus, quatenus necessaria est ad integratem formalem & moralem confessionis, vt in confessio est apud omnes, & patet in varijs casibus, in quibus saluformal integrity confessionis, pœnitens potest eam instituire non integrum materialiter & physicè, vt si ex confessione aliquius peccati sibi vel alioctui tertio aliquod graue malum prudenter timerat, v.g. quod confessarius illud peccatum reuelabit, quod inde sumet occasionem petrarahendi alium ad peccatum, &c. ex quibus causis integrum potest peccatum explicari sub ratione generica non descendendo ad ultimam, & specificam rationem, petitam ex omnibus circumstantijs, quamuis ergo æger priuatus voce non possit sua peccata in specie explicare, & distinctam confessionem instituire: instituit tamen eâ ratione, quâ potest, scilicet per signa pœnitentie, quibus in confuso declarat se peccare, & se accusat, vt potest, atque adeo, spectatâ eius imponitentia huc & nunc formaliter integrè constitetur, &

ita propter defectum confessionis alicuius peccati in particulari non est dicendum eo casu non inueniri confessionem.

Aduerte citatos Doctores requirere signa exter- na pœnitentia in ægroti, ad hoc, ut possit ei impendi absolutio, qua etiam passim requirent Doctores, nec quod sciā illus est, qui iudicet huiusmodi saltē signa non requiri, ut sacerdos possit impendere solutionem.

Vnde omni specie probabilitatis caret opinio, Quorundam inprobabilis opinio.

quam intellixi quosdam parochos tenuisse, nimirum esse licitum impendere sacramentalem absolutionem moribundo, licet is nullum pœnitentiae signum vel ante aduentum sacerdotis, vel eo praesente dederit, caret, inquam omni specie probabilitatis, tum quia eo casu nulla inuenitur confessio: tum quia sacerdoti tanquam iudici nullo modo etiam probabiliter potest innescere dispositio rei, nec potest ei modo humano constare, super quam materiam ferat sententiam.

Nec ictorum opinioni fauet August. lib. 1. de adulterini coniugij cap. vltimo dicens: ego non

August.

solum alios catechumenos, verum etiam ipsos, qui tuentur coniugis copulati retinent adulterina confessa, cum sicut corpora his permanentes non admittamus ad baptismum, tamen si desperati & intrasse pœnitentes iacuerint, ne pro se respondere potuerint, baptizandos puto, vt etiam hoc peccatum cum ceteris lauacio regenerationis abluitur. quis enim vult, verum fortassis adulteria carnis illecebra usque ad baptismum statuerint detinere? &c. quia autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finienda vita periculum preoccupaverit, nec enim ipsis ex hac vita fine arbusta pacis exire velle delbet mater Ecclesia.

Non, inquam, fauet, quia ex priori parte capitatis pater Augustinum agere de ijs, qui saltem in confuso desiderarunt baptismum, cum agat de Catechumenis, quorum in fide Christiana iuncta est voluntas, vt idem ait capit. 26. eiusdem libri, nec per illa verba, intrasse pœnitentes, excludit externa signa pœnitentiae, sed externam petitionem, dum versarentur in mortis periculo, quasi dicat etiam adulterios Catechumenos, qui pœnitentie signa edunt, iudico in periculo baptizados, quous in eo baptismum expresse non petierint, eadem est ratio Sacramenti pœnitentiae, etiam si sua peccata distinctè non possint explicare &c.

Confirmatur, si ex loco citato August. aliquid posset confici, iuxta illam opinionem licet posset baptizari, vel absoluī publicus adulter, qui nulla pœnitentia signa daret, quod est inauditum in Ecclesiâ, adde talem scientia humana moraliter cognoscendis dignum baptismum, vel absolutionem.

## D V B I V M VI.

Vtrum Ecclesia potuisse præcipere confessionem sacramentalem, si ea non fuisset iure diuino præcepta?

**N**E G A T Sotus distinctione 18. q. 1. art. 1. con. cl. 4. & quidam alij affirmant alij, quos ci. Suar. affirmat & sequitur Suarez disp. 35. sect. 1. num. 18. & Vasquez q. 90. art. 1. dub. 4. num. 43. vnde

Resp. affirmatiū: quia non est extra limites potestatis Ecclesiæ præcipere receptionem Sacramenti, cum ea sit res honesta, & non ita grauis, vt

censeatur

sæ. negat.  
ci. Suar. affir.  
& Vasquez

31.

censeatur nimis ardua, quod si præcepisset, posita  
institutione Sacramenti eo modo quo facta est, id  
est per quam est constitutum à Christo, ut confes-  
sio sit omniam mortalium, quorum homo post  
diligentem inquisitionem habet memoriam, de-  
busset etiam eo modo integra institui, quia sine  
tali confessione Sacramentum non potuisse con-  
sistere, unde præcipiendo vsum Sacramenti, indi-  
rectè atrigilset id sine quo Sacramentum consiste-  
re nequisset, quod si per erectionem Sacramenti  
penitentie non fuisset inducta necessitas omnia  
mortalia recēendi, etiā supposito viu Sacramenti,  
Ecclesia non videtur potuisse præcipere confessio-  
nem omnium mortalium, præfertim internorum.  
ratio est quod talis confessio non fuisset necessaria  
ad valorem, & substantiam Sacramenti, ut sup-  
pono, neque etiam fuisset necessaria ad fructum  
Sacramenti percipiendum: nam homo potuisse  
habere attritionem omnium mortalium, licet  
non omnia recensuisset in confessione, & ita fu-  
set legitimè dispositus ad absolutionem, & ad  
consequendam remissionem peccatorum per Sa-  
cramentum, direcè quidem eorum, que clavibus  
fuissent subiecta, aliorum verò indirectè.

Dixi, præfertim internorum; quia Ecclesia non po-  
tuisse vlo modo horum confessionem præcipere,  
cum respectu similiū actuum, qui merè in-  
tus latent, nihil posse directè, nec ea subiaceant  
illius foro, fortè tamen potuisse præcipere con-  
fessionem omnium mortalium, que in actu ex-  
ternum prodeunt.

Dices ne quidem videtur potuisse præcipere  
confessionem internorum, etiam posito quod  
confessio debeat esse integra, quia non potest at-  
tingere interna.

Repf. negando assumptum, quia in casu argu-  
menti non fuisset necesse attingi interna, per se  
loquendo, seu ferendo preceptum, quo directè  
præcipieretur corum confessio, sed solum indirec-  
tè præcipiendo actu externum, qui in sua spe-  
cie non potuisse ponni nisi recenseretur interna;  
potest verò Ecclesia ita attingere interna, qua  
videlicet, & quatenus sunt necessaria ad substi-  
tutiam actus externi ab eis præcepti, quia ratione po-  
tuisse attingere conditionem necessariam ad ratio-  
nem confessionis sacramentalis, seu ut narratio  
peccatorum fortius rationem sacramentalis  
confessionis.

Nec obstat quod Ecclesia non possit cognoscere, num adit contrito, vel an aliquis habeat inter-  
na, & proinde non possit cognoscere, num confes-  
sio habeat debitas conditions: ad hoc enim, ut  
eam valeat præcipere, sufficit quod si actus ex-  
ternus, sicut potest præcipere orationem, licet non  
possit cognoscere omnem internam conditionem  
ad esse orationis requisitum, & ita non possit om-  
nino certò cognoscere actuū extēnum, prout  
fortitur talē speciem moralem.

## D V B I V M VII.

### De præcepto ecclesiastico confessionis.

33.

Cap. omni-  
